

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuiſimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Bulla Pij V. & de vsu Breuiarij Romani. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

14 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. II. Cap. I.

2 Significat autem Compendium, siue Summarium & concilium opus, ex Plinio lib. 18. cap. 26. & Sueton. in Augusto cap. vlt. item Indicem, ut in

2. Concil. Tom. titulus cuiusdam operis extat: Breuiarium causæ Nestorianorum, &c. quæ optimè conueniunt Breuiario Ecclesiastico, quod, ut ait Lessius de Influria & Iure, de Denot. & orat. dub. 8. admirabile est mysteriorum sacræ Scripturae compendium: continet enim Psalmos, in quibus per modum laudis omnia mysteria clauduntur, tum selectissima quæque veteris & noui Testamenti, tum Patrum monumenta nobiliora, tum præcipua Sanctorum gesta, breues denique Orationes seu Collectas à Summis Pontificibus ut plurimum compositas, & indicat quotidie quæ preces adhibendas. Romanum dicitur, quia preces continent iuxta ritus sanctæ Romanae Ecclesiae.

3 Usus tamen Breuiarij, quocumque nomine vocaretur, non fuit ante Lectionarium sancti Hieronymi, inquit Cornelius loco citato, & ex dictis magis patebit. Haymo, Generalis Minister Ordinis Minorū S. Francisci, sub Gregorio IX. anno 1241. ut ex eiusdem Bulla patet, Breuiarium Romanum cum Millali reformauit; & est illud ferd' idem quo nunc vrimur, ex Radulpho Propof. 17. lege VII a dingum in Annal. Min. anno 1244. qui tamen Radulphus quam maximè dolet, fuisse receptum a Nicolao III. ad usum communem, propter multitudinem Festorum in eodem Breuiario, cum diminutione ferialis Officij.

4 Restitutum dicitur Decreto Concilij Tridentini Sess. 25. in fine, ut intelligas non esse nouum, editum autem a Pio V. & recognitum a Cle-

mente VIII. & Urbano VIII. capitulo ratione qua in Bullis eorumdem, de quibus nunc dicemus.

De Bulla Pij V. & de usu Breuiarij Romani. CAP. II.

D Ata fuit Bulla Pij V. septimo Idus Iulij 1568. anno tertio, quæ Pontifex multa facit.

1 Primò significat causam edendi huius Breuiarij, nempe ad tollendam orandi varietatem.

2 Enarrat ea quæ in hac re pristitere Paulus & Pius nomine Quarti, & quam ipse adhiberi operam curauit, ex Decreto Concilij Tridentini.

3 Tollit & abolet omnino Breuiarium à Cardinale S. Crucis compotum, quod erat breuissimum; item alia Breuiaria Romana, & alia, quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos.

4 Permittit tamen, ut antiquum non Romana ducentis annis possit mutari in hoc Breuiarium, ijs omisisti Episcopus & universum Capitulum consentiant.

5 Reuocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, & indulcta precandi & pfalendi more & ritu prædictorum Breuiariorum suppressorum.

6 Præcipit obseruari hoc Breuiarium in toto Orbe cum exceptione ducentorum annorum, de qua supra.

7 Statuit nihil in eo mutandum, addendum, detrahendum.

8 Obligat quosque qui tenent Horas Canonicas recitare, ut hoc vtantur Breuiario, alias non satisficiant muneri suo.

9 Iubet omnibus Praeatis, ut hoc intro-

introducant tam in Choro quam extra Chorum.

10 Tollit obligationem, quae erat sub mortali, recitandi extra Chorum Officium paruum B. Virginis, Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, iuxta Rubricas Breuiarij.

11 Hortatur, ut recitentur eadem, propositis Indulgentijs dierum centrum recitantibus Officium paruum beatae Virginis & Defunctorum, quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitentiales & Graduales, quando Rubrica ea præscribant.

12 Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, vbi est, recitandi Officium paruum B. Virginis in Choro, imo eamdem confirmat; & tandem tempus decernit obligationis ad usum Breuiarij post eiusdem publicacionem. Hæc Pius V.

13 Ex quibus collige Primò: vbi aliquando, omisso proprio & licito Breuiario, receptum est illud Pij V. non potest amplius omissum repeti, *Suar. Tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 11. nn. 5.*

14 Habenti priuilegium utendi antiquiore Breuiario ducentos annos superante, non est licitum priuatim vti Romano, relicto sua Religionis vel Ecclesiæ proprio, *Bonac. disp. 1. quest. 3. punc. 1. num. 3.* & putat probabilius; unde oppositum quoque iustineri potest, & præsertim si raro fiat, *num. 5.* & nisi præceptum alieni Breuiarij exstet, ut Mediolani pro Breuiario Ambrosiano, *num. 6.*

15 Qui Romæ degit, potest vti Breuiario Romano, *idem ibidem num. 7.* Monachus tamen non potest vti Romano, quippe qui promisit obseruantiam sua Regula, *ibidem ad Tertiām ex Silueſt. v. Hora. quest. 1. diēlo 6.*

16 Qui alio concedit animo con-

stituendi sibi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte, tenetur vti Breuiario loci vbi moratur; secùs minimè, *Bonac. num. 8.*

17 Qui duo habet beneficia in locis vbi diuersa Breuiaria sunt in usu, debet in Choro vti Breuiario loci vbi residet; extra Chorum verò eo vti Breuiario loci, vbi dignius, non pinguis habet beneficium. quod si equalia sint dignitate, vti potest ad libitum utroque Breuiario, *Silueſt. loco cit.*

18 Qui in una Ecclesia habet beneficium, & in altera Diocesi habet domicilium, vbi Breuiarium est diuersum, tenetur adhibere Breuiarium domicilij, *Suar. nn. 6. loco cit. contra quem alij putant præualere Breuiarium beneficij, cum ex eo insurgat obligatio Officij, S. Thom. quodl. 6. artic. 8.*

19 Non potest Episcopus cum aliquo dispenſare, ut relicto proprio Breuiario, recitet Officium iuxta formam alterius Breuiarij, *Bonac. num. 19.*

20 Potest Episcopus curare ut Breuiarium Romanum recipiat, ut in Bulla dictum est, & vniuersum Capitulum consentire debet, id est in unum locum coactum, & congregatum; non tamen omnium & singulorum consensus est necessarius, *Suar. cap. 11. num. 4. ad fin.*

21 Nihil addi posse iussit Pius Breuiario, hoc est tamquam partem Officij notabilis; si quid modicum addatur ex deuotione, non peccatur contra Bullam, *Bonac. num. 21.*

22 Edita verò hac Bulla Pij V. cessauit omnis antiqua facultas Episcoporum circa Festorum Officia, quam habebant ex sacris Canonibus Archiepiscopi & Episcopi, quos refert *Quaranta in Summar. Bullarij verbo, Archiepiscopus. num. 23.* vbi idem

16 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. II. Cap. II.

idem docet, attendendam esse nunc Pij V. Bullam, in qua prohibetur omnis additio seu mutatio Breuiarij Romanii reformati, & postea recogniti à Clemente VIII.

23 Cessauerunt etiam consuetudines quæcumque & priuilegia Sedi Apostolicae contra nouū Breuiarium, quod innuimus *suprà num. 3. & 5.* Vnde non potuerunt retineri Officia recitata ante Pium V. sine licentia Sedis Apostolicae; quia retinere Officia abrogata, est idem ac, addere Breuiario Pij V. seu mutare Officium in Breuiario quotidie præscriptum.

24 Et hic est sensus eorum verborum Decreti 8. Aprilis 1628. renouati, locupletati, & nunc impressi in Breuiario, nimirum, *Non potuisse, neque posse locorum Ordinarios addere Calendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officijs, nisi ea dumtaxat, que Breuiary Romani Rubricis, vel sacra Rituuum Congregationis seu Sedi Apostolicae licentia conceduntur;* hoc est, non potuerunt addere post publicatam Bullam Pij V. quod poterant ante illam.

25 Neque potuerunt ijdem Ordinarij, neque possunt (quod habetur in eodem Decretō) eadem de causa mutare ritum in altiore, puta de simpli ci in semiduplicem, vel duplīcēm, propria auctoritate, licet causa videretur iusta. non enim sufficit causa legitima; sed est necessaria quoque Sedi Apostolicae auctoritas, vel Sacrae Congregationis Rituum licentia.

26 Et hinc sequitur, quod sine prædicta facultate non potest fieri Officium, eo quia deuotio populi adest, seu votum.

Neque, quia Clerus consensit in Diœcesa Synodo.

Neque, quia voluntas testatorum

legato proprio iussit Officium de Sancto, quod non est in Calendario.

Neque, quia titulus est Cappella, seu Altaris.

Neque, quia ille Sanctus Archiepiscopus est Provinciae, vel Episcopus loci, vel titularis Ecclesiae matricis, respectu Officij totius Cleri.

Neque, quia ille est ortus ibi, aut martyrium ibi sit passus, vel ibidem obierit Confessor.

Neque, quia translatio est Reliquiarum.

Neque, quia vnti sunt redditus aliquius Ecclesiae, vel vnta ipsa Ecclesia alteri.

Nec eo, quia titulus est præbenda Canopicalis, aut dignitatis.

Neque, quia in aliquo loco celebri ta est aliquando à Papa alicuius Sancti canonizatio.

Nec eo, quia conformare se debet Ecclesiae minores matrici, seu Cathedrali.

Neque, quia Festum populi est præcepto, vel consuetudine, quod potest esse sine Officio, ut Romæ Festum S. Rochi.

Neque, quia habetur in ciuitate, seu loco, Abbatialis, vel Regulatis, vel Parochialis Ecclesia.

Neque, quia pensionem quis habet super aliquam Ecclesiam.

Neque, quoad Regulares, quia vivunt sub Regula Sancti, à quo tamen non pendent in propria origine.

Neque eo, quia communicationem habet unus Ordo Priuilegiorum alterius Ordinis; quæ communicatio non excedi debet ad Officia seu Festa Sanctorum: non ad omnia, quod non sive nec ad aliqua, cum non sit maior ratio de uno Feste, seu Officio, quam de alio celebrando. Et ratio prædictorum est, quia

quia in Rubricis Pij V. nulla fuit neque est certa lex de his Officijs; & licet iusta in aliquibus sit cauſa, petenda tamē est licentia omittendi Officium tali die in Breuiario præscriptum, vt aliud de prædictis recitetur.

27 Dices: In Rubricis habentur ſepiuſ hæc verba, vt *tit. 1. num. 1.* *tit. 2. num. 1.* & *alibi*, Festa Sanctorum illorū que conſueuerunt celebrari: ergo concedit Pius V. retineri adhuc conſuetudines. Respondeo, Quod ſic ſe habet textus, *celebrari conſueuerunt ſolemniter*, vel *ſolemnissimè*: tum quia alioquin Pius V. ſibi eſſet contrarius, ſi in Rubricis concederet conſuetudines quas abrogauit in Bulla; non enim abrogauit conſuetudines ſolemnies quas concedit in Rubricis: tum quia verè concesſit retineri Festa Sanctorum in locis proprijs, non autem quæcumque Festa, ſed ſolemniter celebrata.

28 Dices adhuc: In ijsdem Rubricis *tit. 7. num. 4.* habentur præcisè ſine aduerbio hæc verba, *conſueuit celebra-ri*, & *tit. 5. num. 1.* *conſuetum celebrari*; ergo ſufficit conſuetudo ſimpliciter, non ſolemnis. Sed facilē repondeo, posteriores textus pendere a prioribus; & in eodem ſenſu accipiendi ſunt ut priores, qui addunt aduerbiū ſolemniū; ne pugnent inuicem ipſamē Rubrica, priores & posteriores.

29 Quid eſt, aīs, ſolemniter? Reſpetu Cleri ſecularis ſignificat festiuitatem aut populi, aut Cleri cum pompa exteriori, puta Proceſſione, apparatu, concurſu, & huiusmodi. & ita declarauit ſacra Rituum Congregatio die 28. Auguſti 1628. reſpectu verò Regularium & Congregationum ſignificat ſingularem quemdā cultum, non communem alijs Festis de Calendario: qua ratiō cūm non in omnibus

Festis in Hispania celebratis adeffet, recurrerunt ex Ecclesiæ ad Gregorium XIII. anno 1573. & obtinuerunt, poſſe retinere Festa ciuium, Reliquiarum inſignium, & alia eiusmodi. quod & tañdem præſtitere ferè oīnnes Ecclesiæ Italiae, post Decretum præfatum 8. Aprilis 1628. editum: quibus ſacra Rituum Congregatio multa concesſit rationabilia, & eft parata alijs concedere ſimilia.

30 Postremò reſtat dubium: An per Bullam Pij V. derogetur Bullis Canonizationum Sanctorum, in quibus vi- dentur Pontifices dare facultatē recipiādi Officiū de Canonizatio in die mor- tis eius ſolemniter, ad formam in Ru- bricis Breuiarij Romani præscriptam.

Verū patet omnibus, quod de omnibus Canonizatis nō fit Officium ab omnibus. Deinde ex Rubricis Breuiarij non appetet de unoquoque Ca- nonizato, an ſimplex, ſemiduplex, du- plex Officium fieri debet; & eft necel- larium nouum Decretum de ritu quo fieri debet Officium. quod expreſſe decreuit ſacra Rituum Congregatio die 9. Decembris 1628. de hoc iplo ca- ſu interrogata. Vel dicere, loqui Pontifices copulatiū, (et) vna cum ædificio Ecclesiārum, de quo in Bulla, fieri poſſe Officium ſolemne, tam- quam de Titulari Ecclesiā, quod ha- betur in Rubricis Breuiarij, hoc eft primæ classis cum Octaua.

De Bullis Clementis VIII.

& Urbani VII.

CAP. III.

E Dita fuit à Clemente VIII. Bulla die decima May 1602. anno undecimo, & in ea ha- bentur pauca.

C

1 Ac-